Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

PERVERSAM MEDENDI METHODUM IN FEBRIBUS ACUTIS SISTENS.

Quam

SUB AUSPICIIS DIVINI NUMINIS

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

Auctoritate & Consensu

Pro

GRADU DOCTORATUS IN ARTE MEDICA RITE CAPESSENDO

Solenni ac Placido Eruditorum Examini

Ad. d. Mart. MDCC XXIII.

h. l. q;. f.

ſubmittet

JOH. HENRICUS LÜDERS

Hamburgens.

ARGENTORATI

TYPIS JOHANNIS HENRICI HEITZII.

24

VIRO
NOBILISSIMO, DOCTISSIMO
ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
ANTONIO LÜDERS,
PRACTICO APUD HAMBURGENSES
FELICISSIMO
PARENTI COLENDISSIMO AMANTISSIMOQUE;

In gratæ mentis tesseram
Dissertationem hanc Inauguralem
sacram esse vult
Filius obedientissimus
JOH. HENRICUS
LÜDERS.




Præfatio.



Ti provida Natura in Macrocoſmo per admirandam motuum Harmoniam omnia conſervat, ita eadem perficit in Microcoſmo, dum per motus vitales ſecretorios & excretorios elegantiſſime adminiſtratos corpus ſuum non tantum in ſtatu ſano conſervare, ſed & morbis afflictum, exquiſitiſſimo motuum adauctorum concentu liberare conatur. Nullibi autem in ſtatu Microcoſmi noſtri præternaturali hoc magis conſpicuum eſt, quam in frequentiſſimo febrium diverſarum negotio, quod quidem ab activo hocce principio non tantum ſalutariter atque methodice ſuſcipitur, ſed & plerumque ſi chronicas excipias febres & quaſdam anoma-

lias, in individuis contingentes, ad felicem perducitur finem. Utinam vero huic methodo genuinæ à Natura nobis præſcriptæ , omnes qui corporis noſtri conſervationem in ſe ſuſcipiunt, inſiſterent ; aſt quam dolendum contrarium potius quovis die evenire, dum plures incongruis partim, partim intempeſtive adhibitis medicaminibus , partim denique inconvenienter adminiſtrato regimine ordinem ſ. methodum Naturæ ſalutarem cum inſigni ſane & non raro deleterio corporis damno interpellant & perverſam plane reddunt. De qua quidem perverſa febres tractandi methodo quædam pro virium mearum tenuitate in medium proferre mecum conſtitui ; cum vero omnium Febrium examen prolixioris ſit conſiderationis, ne diſſertationis limites excedam , in febribus tantum acutis earundemque methodo examinanda hac vice ſubſiſtere lubet. Faxit Deus omnis veritatis atque ordinis Auctor, ut omnia fiant methodice atque feliciter.

§. I.



§. I.

CUm contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, opus eſſe exiſtimo ut quid METHODUS MEDENDI ſ. tractandi vera & genuina, quid FEBRIS ſit, paucis explicem. Eſt vero mihi illa præeunte *Barth. Caſtello* in *Lex. Med. Brevis, certa & tuta via reducendi ægros ad ſanitatem priſtinam*, & hoc quidem, meo judicio, juxta ductum ipſius Naturæ: Hanc vero contemplor cum ingenioſiſſimo *Sydenhamio Prax. Med. S. I. C.* I. Tanquam *conamen Naturæ, materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis*; Acuta autem febris eſt, quæ breviori temporis intervallo l. ad ſalutem, l. ad mortem ægri tendit: Perverſa igitur febres has tractandi methodus ea erit, quæ ordinem Naturæ negligit, & neque remediorum convenientium, neque temporis, neque modi, neque menſuræ in exhibitione eorundem rationem habet; cum tamen hæc ipſa Illuſtri *Stahlio* teſte in *Diſſ. De æſtu mar. microcoſm.* §. 8. Practicos ab Empiricis vere diſtinguant. Hæret igitur cauſa

 hujus

hujus erroris , ſi rem accuratius perſpiciamus, vel in ignorantia vel neglectu, 1) Materiæ morbificæ, quæ occaſionem agendi, principio noſtro vitali præbet. 2) Sedis morbificæ , quæ paſſionem ſuſtinet. 3) Motuum Naturæ ſalutarium, quibus corpus ægrotum reſtituere conatur. 4) Locorum convenientium , per quæ hoſtem ſibi imminentem ſ. materiam morbificam eliminare ſatagit. 5) Remediorum appropriatorum , quæ materiæ morbificæ opponi ſolent. 6) Denique Doſeos atque temporis congrui, quo hocce fieri debeat. Quibus quidem vitiorum generibus methodus naturæ placida atque genuina non poteſt non perturbari & perverſa reddi, ita ut loco exoptatæ valetudinis, vel morbi lenti, vel, novo Naturæ conamine activo , recidivæ , vel denique funeſtæ rerum metaſtrophæ exinde originem ſuam ſumant: Quibus perſpectis ad rem ipſam nos accingemus & univerſam acutarum febrium Hiſtoriam percurremus, tradituri ubique brevem cujusque febris theoriam, qua methodo in valetudine reſtituenda Natura utatur , & ſubjuncturi poſtea errores practicos , quibus ſalutaris hæc Naturæ intentio perverti ſolet.

§. II.

Ut igitur hujus rei initium faciamus diſpiciendum primo, quomodo FEBRES ACUTÆ diſtingui ſoleant : Sunt autem vel BENIGNÆ mi-

mitiori curſu procedentes,vel MALIGNÆ,gravioribus ſtipatæ ſymptomatibus & periculoſæ magis;Priores ſunt vel NON REMITTENTES absque ulla æſtus remiſſione conſpicuæ , vel REMITTENTES , cum aliquali fervoris tranquillitate circa finem quorumlibet paroxysmorum conjunctæ. Ad illas referimus Continentes, febrem ſc. Synocham & Ephemeram, nec non inflammatorias omnes : Peripneumoniam, Anginam & Nephritidem,tanquam ſatis frequentes ; Phrenitidem vero Paraphrenitidem, Pleuritidem,Hepatitidem &Splenitidem tanquam non ita quotidie occurrentes : Febres porro bilioſas Cauſum & Choleram quibus Dyſenteriam epidemicam non immerito adjungimus. His, nempe remittentibus, accenſemus Febrem catarrhalem, Tertianam & Quartanam continuas. Malignæ dividuntur in malignas ſtricte ſic dictas & permalignas ſ. peſtilentes. Ad has pertinent Peſtis & Sudor Anglicanus, ad illas Febris Catarrhalis maligna , Petechialis , Miliaris, Variolæ & Morbilli. De quibus ſingulis ſpeciatim jam agemus.

§. III.

Ex non remittentibus igitur I. ſiſtimus CONTINENTES , Febrem ſcilicet SYNOCHAM & EPHEMERAM ; incipit autem illa absque ullo frigore cum inſigni corporis langvore & æſtu , decurſum ſuum continuat ad ſeptimum

mum usque diem , quo in junioribus plerumque per hæmorrhagias ; in senioribus autem per sudores largiores solvi solet. Hanc evacuationem Naturæ spontaneam, ob plethoram in corpore collectam excitatam, perturbamus, *α*) si ab initio morbi Purgantia & Vomitoria præcipue fortiora exhibeamus ; notum enim est in vulgus , quantas hæc etiam in corporibus plethoricis sanis excitent commotiones, ita ut exinde sæpissime non tantum cephalalgiæ & obstructiones corporis insignes , sed & alia reportentur incommoda ; quid igitur in malo nostro ad deplendam sanguinis quantitatem latura sint auxilii facile patet : nil enim nisi majores sanguinis commotiones, stasibus facillime ansam daturas exinde impetramus. *β*) Si Venæ Sectionem à principio utilem circa semi aut criticos demum dies in subsidium trahamus , à quo immaturo conamine incompletæ congestiones versus caput & stases inflammatoriæ tempore criseos contingentes suam postea ducunt originem ; unde neque in diem tertium usque eandem differendam esse bene judicavit *Raym. Joh. Fortis Tr. de febrib. p.* 3. Sed præmisso clystere illico & quidem largiorem celebrandam, quia alias neglecta febris facillime in Phrenitidem , Pleuritidem vel Anginam abit. *γ*) Si pro febre discutienda alexipharmacis calidioribus aut Salibus volatilibus utamur, orgasmus enim sanguinis exinde adaugetur & excretiones spontaneæ impediuntur partim, partim immature

pro-

promoventur, ita ut malum vel in morbos lentos cachecticos vel in inflammationes convertatur & placidus morbi genius hac ratione mirum quantum deterior reddatur. δ) Si ad dolores sedandos & agrypniam mitigandam opiata præscribamus: his enim tantum abest, ut aliquid boni efficiamus, quin potius stasibus sanguinis, deliriis & comatibus occasionem præbeamus.

§. IV.

Ex eadem Classe producimus Febrem EPHEMERAM quæ pari modo ac memorata Febris Synocha absque horrore solo æstu & languore corpus nostrum invadit, eodemque tenore continuat; illud autem differentiæ habet, quod vel post 24. horarum spatium, ubi Febrem Ephemeram simplicem constituit, vel post 4. aut 5. dies, ubi Ephemeram plurium dierum sistit, (quamvis tum improprie Ephemera vocetur) largo utplurimum sudore terminetur. Instituit autem Natura hunc motum febrilem uti in Synocha prægressa, ob Plethoram in corpore latentem & à causis variis commotam. Et quamvis *diariam omnem* ut verbis *Jod. Lommii Medicinal. Observat. L.* 1. *p. m.* 2. utar, *curasse quam novisse* (ob brevem ejusdem decursum) *facilius* sit; Patet tamen Medicum, si spectatio morbi adhuc dum eidem concedatur, neque V. Snem administrare debere, ubi Na-

tura

tura in excretione ſudoris jam eſt conſtituta, multo minus Vomitoria & Purgantia exhibere, plures pro evacuatione ſua expoſcentia horas, ſolutionem per ſudores interea certiſſime inhibitura. Neque ignotum eſſe poterit inſignem allatura eſſe noxam omnia calidiora, quæ Ephemeram non raro in Synocham transmutant. Sicuti vero hæc orgaſmum ſanguinis adaugent, ita acida in majori, quam par eſt, doſi propinata, humores coagulant & ſudoris excretionem impediunt; unde febres hæ leniores non raro in lentas convertuntur. Quæ de Opiatis in antecedente febre monita, & in hac dicta ſunto.

§. V.

A continentibus ad INFLAMMATORIAS pergimus, ex quibus primo loco nominamus PERIPNEUMONIAM, tanquam omnium frequentiſſimam. Quæ enim *Sydenh. Prax. Med. S. 7. C. 3. pag.m.* 330. de Pleuritide retulit, quod hic morbus tempore inter ver & æſtatem ambigente præcipue homines invadat, applicamus potius huic, qui plerumque Pleuritidis nomine ab Auctoribus exprimi ſolet. Habet autem ſuam originem Peripneumonia à ſanguine abundante commoto, ob cauſas vero externas, imprimis vero aërem frigidiorem in motu ſuo perturbato & ad ſtaſes in pulmonibus faciendas coacto. Intendit autem Natura in hoc morbo vel reſo-

lutio-

lutionem ſanguinis vel ſuppurationem ejusdem, infra 7.tamen dierum ſpatium vix exſpectandam: unde vehementiori ſanguinis per corpus ſuum circulo unum vel alterum ſcopum exſequi conatur, de quo quidem motu adaucto pulſus durities, quam Pleuritidis, (addimus nos omnium inflammationum internarum) & præprimis Peripneumoniæ noſtræ ſignum fere infallibile eſſe optime judicavit celeberrimus & facundiſſimus *Bagl. Prax. Med. L.* 1. *C. IX.* ſatis ſuperque teſtatur. Videmus ex hac theoria quid poſſint Vomitoria in principio morbi exhibita, ubi cauſa in ventriculo non latitat, niſi forſan iracundia immediate prægreſſa ad hanc evacuationem excitandam nos invitet? quid purgantia draſtica auxilii afferant? utraque ſane nil meo judicio, quin potius inflammationis adaugendæ capacia ſunt. Venæſectionis autem ſicuti in principio inſignis poteſt eſſe utilitas, ita verſus dies judicatorios celebrata inſigne plerumque Naturæ damnum infert, dum vel diſcuſſionem vel ſuppurationem impedit. Eundem principii agentis ordinem pervertunt calidiora remedia cum diaphoretica tum pectoralia Elixiriorum, Eſſentiarum & Tincturarum nominibus reſplendeſcentia, quippe quæ largiori inprimis manu propinata, æſtum adhuc magis incendunt, & deliria invitant & neque diſcusſionem blande inſtituendam, multo minus ſuppurationem exſequuntur. Quid vero de Opiatis dolorum mitigandorum cauſa in uſum vocatis dicemus?

 nul-

nullum ſane in univerſo morbi decurſu iisdem ſcribemus encomium, ſed procul exſulare jubebimus, quia neque diſcusſioni neque ſuppurationi conveniunt, ſed utrique reſiſtunt: Alvi ſolutionem uti proficuam in hoc morbo, ita diarrhœas parum utiles obſervamus, abſtinendum igitur à frequentioribus clyſteribus erit, ni ſputi ſuppreſſionem efflagitaverimus. Diſcutientia interne & externe ſuppurationis tempore præſcripta pariter Naturæ intentioni ſunt contraria, coctionemque impediunt; ſuppurantia vero ab initio morbi ſtatim exhibita, omnis diſcusſionis ſpem adimunt, patientemque longiori morbo implicant, imo largius propinata inſignem ſæpius pectoris infarctum poſt ſe ducunt, videndum igitur quo tempore & qua doſi ſingula conveniant. Adhibent quidam ſpecifice corticem Chacarillæ diſcutiendi ſcopo, quem tamen non promiſcue uſurpaverim, cum ſenſibilem ſubadſtringendi facultatem poſſideat.

§. VI.

Poſt Peripneumoniam producimus ANGINAM, quæ à priori vix niſi ratione loci differt, habet enim eandem originem eandemque cauſam, ſed peculiari loci differentia conſpicua eſt. Inflammantur nimirum in hoc affectu fauces, & quidem ita vehementer, ut Patientes difficillime ſpiritum trahant & non raro ſuffo-

ſuffocationis metum incurrant. Omittitur hic male ab initio Venæſectio, vel brachii, vel, quæ melior eſt, pedis, raninis ſolis adapertis vel inſufficientem ſanguinis effluxum, vel largiorem ejusdem excretionem vix ullis remediis amplius compeſcendam comitem habentibus; Perperam autem utraque evacuatio eo tempore demum ſuſcipitur quo inflammatio jam ad ſuppurationem tendit. Vomitoria, neque in principio, neque in progreſſu, ullum habent locum. Purgantia quoque magis debentur nothæ, ubi fauces muco ſunt obſeſſæ, quam veræ, quæ lenientia & lubricantia interna potius expoſcit. Omnia calidiora medicamina interna morbus hic plane reſpuit, cum inflammatio mirum in modum exinde intendatur. Ab initio quoque, ubi Natura diſcuſſioni adhuc dum invigilat, damnamus Gargariſmata emollientia & ſuppurantia; circa quartum vero diem ubi ſuppurationis indicia adſunt rejicimus diſcutientia *Joel. L. II. Pract. S. VIII.* ſecuti emollientia & ſuppurantia ſubſtituimus. Opiata procul eſſe jubemus ut & Vomitoria pro ruptione apoſtematis promovenda a quibusdam commendata. In Angina ſymptomatica, febribus malignis aliisque acutis ſæpius familiari à Venæſectione & aliis evacuantibus fortioribus omnes fere cordati Practici abhorrent, & morbum potius primarium debitis remediis domare, quam incongruis talibus tentaminibus eundem pervertere ſtudent.

 §. VII.

§. VII.

Ab Angina ad NEPHRITIDEM, Inflammationis ſpeciem ſatis frequentem, aſt præ antecedentibus mitiorem, progredimur. Reſpicit in hoc affectu Natura excretionem hæmorrhoidum externarum & ob ſtaſin ſanguinis in peripheria renum factam diſcuſſionem per motum ſanguinis celeriorem molitur. Superveniunt autem ſæpiſſime huic affectui ob conſenſum nervorum non tantum vomitus, ſed concurrit etiam vix non ſemper, juſto parcius Urinæ & quidem albicantis, ſtricturam harum partium ſatis arguentis, ſtillicidium, quod guttatim factum ægrotum acerbiſſimis plerumque doloribus exercere ſolet. Etiamſi igitur Natura hoc in morbo Vomitionem ſponte inſtituat; nemo tamen ſuarum rerum expertus hoc molimen per Vomitoriorum aut Purgantium imprimis fortiorum exhibitionem facile imitabitur, cum ſedes mali non in Ventriculo ſed Renibus ſit; unde evacuationem hanc tantum pro ſymptomate, ob conſenſum partium excitato, habebit & hoſti primario obviam eundum eſſe concludet. Neque vero hoc faciet, ſicuti in Praxi vulgari ſæpiſſime hocce contingit, per diuretica atque pellentia, calculum pellendi ſcopo propinata, ad quæ non tantum fortiora, Terebinthinam ejusque Spiritum, Baccas & Ol. Junip. Succini, Balſ. Ind. album, Millepedes: ſed

&

& leniora , Aſparagum, Petroſelinum, Fraga, Armoraciam , Raphanum , Caſeum , Sinapi, Allium referimus , multo minus per Salia Volatilia ∘∘∘ſa , quorum omnium in excitando orgaſmo virtus in vulgus quoque nota eſt; unde ſolennius nihil eſt , quam ut per talia infauſta conamina ſtaſis & dolores cum mingendi difficultate inſigniter augeantur; ſed imitabitur Medicus Naturæ miniſter ejusdem methodum & internis leniſſimis remediis diluentibus , demulcentibus & antiſpaſticis diſcuſſionem atque reſolutionem abſolvere conabitur. Cavebit ſibi etiam ab Opiatis , quæ neglecta evacuatione ſanguinis & demulcentium internorum uſu, facillime ulcus renale , difficulter aut nunquam poſt hac ſanabile , inducere poſſunt. Quod Venæſectionem attinet , eandem in Nephritide mitiori minime neceſſariam eſſe exiſtimamus;ubi vero inſignis occurrit Plethora , ibi non tantum eandem ſuadendam, ſed & ſerio injungendam eſſe cenſemus, ſecuti & in hac re Naturam Ducem, quæ per hæmorrhoides interdum Nephritidem ſolvit, teſte *Hippocr. Aphor. IX. Sect.VI.* Sunt etiam qui in hoc morbo varii generis vulneraria præſcribunt, ſed, meo quidem judicio, ſelectu hic maximopere opus erit, cum fortiora adſtringentia ſtaſes adaugeant & noxas ab Opiatis alias metuendas pari ratione producant. Externe Naturæ motibus reſiſtimus , ſi vel penetrantiora diſcutientia , qualia ſunt Camphorata, vel refrigerantia nimia præſcribamus: illa

quippe

quippe partem ſanguinis ſubtiliorem diſcutiunt, relicta craſſiori ejusdem ſubſtantia; hæc vero ſanguinem ſtagnantem adhuc magis coagulant, ut propterea Naturæ ſcopo utraque minus ſint congrua.

§. VIII.

Reſtant ex Inflammationibus PHRENITIS, PARAPHRENITIS, PLEURITIS, HEPATITIS & SPLENITIS, quibus adhuc accenſendæ ſunt VENTRICVLI, PANCREATIS, UTERI & reliquarum partium Inflammationes. Cum vero ex theoria antecedentium Inflammationum facile appareat, quid Natura vehementiori ſanguinis ſui circulo in ſingulis intendat partibus, non difficulter etiam colligere erit, qua ratione ſalutares ejusdem ſcopi incongruis artificiis vulgo ſoleant perverti. Nimirum nullibi Vomitoriis aut Purgantibus cauſa mali principalis tollitur, unde etiam nunquam præſcribenda ſunt niſi bilioſa recrementa ab initio primas oneraverint vias, in hoc enim caſu priora poterunt aliquid præſtare utilitatis. Venæſectiones uti ab initio ubique non absque fructu, imprimis ſi Plethora concurrat, celebrantur, ita imperite circa ſtatum aut morbi decrementum in ſubſidium vocantur, ubi enim profundiores ſtagnationes factæ ſunt, ibi ſane fruſtra à craſſioribus ejusmodi evacuationibus aliquid ſolaminis ſperamus; quod quidem in ſymptomaticis etiam In-

Inflammationibus annotandum esse existimamus, quippe quæ vix non omnes ejusmodi evacuationes plane respuunt. Fortiora diaphoretica, Tincturas resinosas, producta ♃ea, ⊖ia volatilia omnes fere regiones imprimis vero Climata calidiora haud ferunt & plerumque majores ægri exinde reportant noxas. Quid vero à Modernorum Idolo, Opiata intelligo, sperandum sit, quivis intelligit; nisi enim parce & quidem in principio tantum propinentur, infaustos utplur. relinquere solent effectus. Externe formulæ aquosæ & refrigerantes, nec non calidiores, nimium ubique nocent, illæ sanguinem coagulando & ad putredinem disponendo; hæ vero eundem exagitando & inflammationem intendendo. Et hæc de Inflammationibus sufficiant.

§. IX,

Pergimus jam III. ad FEBRES BILIOSAS, CAUSUM & FEBREM CHOLERICAM, originem suam copiosæ bilis in ventriculum effusioni & quidem eo præcipue tempore, quo cibi in resolutione sua sunt constituti, debentes. Sicuti autem ratione causæ utraque febris quam maxime convenit, ita ratione moliminum æque differt, in Causo enim bilis fermentescens acerrima in Ventriculo & intestino duodeno detinetur & arctissime quasi concluditur; unde febrem ardentem acutissimam cum symptomatibus

bus gravioribus conjunctam habet, qua Principium vitale partem affectam ab hoste ipsi imminente tutam conservare conatur: in cholera autem Natura bilem sibi molestam ἄνω καὶ κάτω plerumque ejicit; unde febris etiam concurrens præ illa solet esse mitior & symptomata non ita molesta ac periculosa. Videmus hinc in posteriori casu cum Natura ipsa actualibus excretionibus sibi auxilium parare conetur, eidem nullis adstringentibus, nullis opiatis esse resistendum, sed potius felicissimi *Sydenh. Prax. Med. S. IV. C. 2.* ductu copioso diluentium supra & infra ingerendorum apparatu eandem potius in excretione sua adjuvandam, ubi tamen inter perversa medicamina relata volumus Vomitoria & Purgantia stricte sic dicta, quippe quæ dum stimulando vim suam absolvunt, non tantum acrimoniam biliosæ materiæ exaltant, sed & motus febriles adaugent; unde ea quæ Naturæ moliminibus hic subveniunt è blandiorum evacuantium generibus debent esse desumta. Uti vero ab initio morbi Opiata & Adstringentia plane damnamus, ita ejecto hoste & febre sensibiliter mitigata eadem maxime proficua esse existimamus, dummodo in selectu medicaminis doseosque ejusdem debitæ non peccaverimus, fortiora quippe adstringentia & opiata minus correcta & hoc tempore sensibile afferre poterunt damnum. In priori vero Casu nempe Causo Natura fine suo nempe excretione bilis non potitur, unde in primo morbi principio

Vo-

Vomitorium aut Purgans lene perperam omittimus, secuti potius in hac re *Lælium à Fonte* qui *Consultat. Med. CXXV. pag. 671. Naturam observare* cupit, *an quidquam illa moveat, an vero quiescat, quodsi Natura per alvum aut aliam partem evacuationem bilis moliatur, tum quiescendum; si vero deficiat à suo munere, tunc medicamenti exhibitionem Medico esse concessam*; dummodo autem hæc evacuatio inprimis per vomitum primo statim morbi contingat principio, alias partis affectæ inflammatio facillime intenditur. Nec denegemus in hoc morbo Patienti sufficientem potum, quem materiæ acrimonia & febris concurrens quam maxime expetit; non sit autem actu frigidus prouti quidam ob æstum eo melius exstinguendum commendant: stasis enim fortior & partis affectæ νέκρωσις exinde certissime metuendæ sunt. Adstringentia autem & Opiata in Causo nemo sanus facile propinaverit, cum Natura ipsa fortiori alvi & ventriculi constrictione bilem corruptam coërceat & insignem hoc in casu errorem committat, unde non obsecundandum eidem est in hac re, sed in morbi progressu alterantibus potius exquisitis auxilium ferendum. Diaphoretica stricte sic dicta in utroque morbo nullius sunt usus: Materia quippe peccans non per peripheriam corporis, sed vomitum & alvum præcipue solet excerni; unde quæ propinantur debent esse lenissima circulationis tantum æqualitati & abstersioni partium prospicientia. Simile de Venæsectione esto judicium,

hæc enim plethoræ tantum consulit, qua deficiente nullum ab eadem sperandum auxilium; & etiamsi illa concurrat, hæc tamen non nisi in morbi principio in usum vocari poterit.

§. X.

Annumeravimus Febribus biliosis DYSENTERIAM EPIDEMICAM, quæ quidem etiamsi non semper à malignitatis nota libera sit ortum tamen suum habere videtur à fermento subtili cum bile corporis nostri concurrente & summam eidem acrimoniam stimulantem inducente. Ejicit autem corruptam hanc biliosæ materiæ congeriem per intestinorum tractus frequentibus alvi solutionibus Natura & simul febrem excitat, ut in parte affecta recrementa noxia corpori suo exitium minitantia abstergat. Scopus igitur hic Naturæ salutaris maximopere considerandus, ut vel in principio saburra biliosa securo Vomitorio, quale radix Ipecacoanha est, exterminetur, vel in progressu lenibus Laxantibus & Clysteribus abstergentibus idem absolvatur finis. Ex quibus facile comparet perversa plane illos uti methodo, qui mox ab initio adstringentia pro fluxu moderando, per se non ita facile lethali exhibent, vel pro doloribus concurrentibus satis exquisitis leniendis largiori propinant manu Opiata: hæc quippe uti in simplici diarrhœa teste *Bagliv. Prax. Med. L. 1. C. diarrh. & dysent.* viscerum & intestinorum ob-

obſtructiones difficulter ſolubiles, quibus tandem ſuccedit Hydrops pertinax, introducunt: ita in Dyſenteria materiam peccantem acerrimam coërcendo majorem inflammationem & ſubſequentem deleteriam gangrænam invitant; unde in principio non danda adſtringentia eſſe ex præcepto Cratonis ante ſeptimum diem optime judicavit modo laudatus *Bagliv.* Non tantum autem huc referimus fortiora ex ♂li proſapia & vulnerariorum adſtringentium deſumta claſſe remedia, ſed & mitiora Corall. ppt. Smaragd: ppt. Spec. de Hyac. Rad. Tormentill. Cort. Chacarillæ, quorum omnium ab initio, ubi dolores & febris adhuc vigent providus debet eſſe uſus, ſicuti vero his artificialibus conaminibus ſalutares Naturæ motus ſiſtuntur, ita eosdem nequaquam promovendos eſſe exiſtimamus purgantibus, aut Vomitoriis in progreſſu morbi, ubi febris jam ardet, exhibitis, ſed ſcopo huic faciendum ſatis arbitramur leniſſimis, diluentibus, mucilaginoſis, præcipitantibus & abſtergentibus. Et ubi horum uſus recte applicatus fuerit, quod ex imminutione Febris atque dolorum facile pateſcit, tunc demum ſupra nominatorum ſubadſtringentium & Opiatorum inſignis poterit eſſe utilitas. Ad incongrua porro remedia quibus Naturæ ordo in hoc morbo pervertitur referimus diaphoretica fortiora, quibus materia fermenteſcens adhuc magis ſanguini communicatur & vires per frequentes jam dejectiones conſumptæ, adhuc

magis proſternuntur. A potu frigido & largis hauſtibus ingurgitato dehortamur, niſi illic inflammationem gangrænodem, hic vero frequentiores dejectiones pro præmio deſideraverimus, Venæſectio morbo huic, à plethora non dependenti, primario haud convenit, quod ſi autem poſterior concurrat, ab initio eandem non tantum non reformidandam ſed & tuto celebrandam eſſe cenſemus, cum alias Natura hoc officium ab arte neglectum non raro copioſa ſanguinis per anum ejectione reſarcire ſoleat.

§. XI.

Tractavimus hactenus febres acutas continuas non remittentes, ordo jam expoſcit ut ad remittentes nos accingamus; Sunt autem hæ CATARRHALIS BENIGNA, Tertiana & Quartana continuæ, quarum prior à Natura ob ſerum acrius in pulmonibus & faucibus collectum excitatur, ut partes noxiæ auctiori ſanguinis circulo removeantur & metuenda ſphaceloſa corruptio præcaveatur. Exſequitur autem hunc ſcopum Principium noſtrum vitale blande per plures quaſi paroxyſmos, quos quotidie circa veſperam, absque frigore, ſed ſolo æſtu vehementiori inſtituit, & ad alterum fere mane continuo tenore protrahit, donec per ſudores partim, partim intervenientes diarrhoeas 14. circiter dierum ſpatio ad felicem perveniat exitum. Nihil hic peragitur vi, ſed

omnia

omnia procedunt blande; unde in medendi methodo, cui Medicus insistat, à Purgantibus Stimulantibus & Vomitoriis vix non omnibus, ni forte hæc primarum viarum molestiæ specialiter exposcant, abstinendum erit, nisi materiæ morbificæ indolem jam per se satis subtilem penetrantiorem reddere placuerit. Neque etiam rem Venæsectione absolvere quis contendet, utpote quæ nisi exquisitum diapnoicum regimen comitem habeat, sæpissime circa dies Criticos incompleta molimina hæmorrhagica in Deliria & Comata, plerumque lethalia, abeuntia post se trahit. Unde plane potius ab eadem abstinendum, nisi specialissima quædam circumstantia ejusdem usum ab initio suadeat, quam incongrua adhibitione damnum corpori inferendum esse censemus. Sicuti autem hoc contingit ex generalium mala applicatione, ita in specialium usu insignis committitur error, si contra tenuem hanc rheumaticam materiam remedia calidiora resolvendi & discutiendi scopo propinantur: hæc enim si largiori versus paroxysmos præprimis, manu exhibeantur, benignam hujus morbi indolem plane pervertunt & malignam periculosamque eidem inducunt faciem, ita ut quandoque exanthematum eruptiones exinde originem habeant: qua propter ne quidem leniora alexipharmaca, uti v. g. est Tinctura alexipharmaca Stahlii, in principio paroxysmorum concedimus, sed tantum in fine ejusdem ubi lenis sudor promovendus est. Si-

mile

mile fere detrimentum infertur à remediis anticatarrhalibus, radicibus resinosis, lignis anti♀eis, gumm, resinis, quippe quæ in catarrho simplici alias satis proficua, nostræ materiæ morbificæ minus sunt adæquata, sed eandem potius exagitant, causticamque magis reddunt, quam quidem exagitationem & Salia Volatilia perficiunt, quæ simul virtutem suam in fibras exercent easdemque stringendo in sensibilioribus varia damna excitant. Dum vero superius innuimus, quod morbus hic blando partim sudore, partim alvina evacuatione plerumque solvatur, insignem iterum illi committunt errorem qui utramque evacuationem plane spernunt, & nullam rationem habent neque excretionis sudoris, quæ tempore præcipue matutino contingit, neque resolutionis alvinæ quæ optime versus paroxysmos lenibus Clysteribus perficitur.

§. XII.

Catarrhalem benignam excipit Febris TERTIANA CONTINUA, hic locorum ob epidemicam suam aliquot abhinc annis grassationem notissima. Excitatur hæc à Natura ob tenue fermentum biliosum in primis viis latitans & sanguini simul communicatum, quod pluribus paroxysmis alternis diebus institutis & per 14. 20. imo 30. horas æstu satis insigni protractis, in principio vomitibus partim, partim largioribus su-

ſudoribus in fine eorundem, partim denique eodem tempore per Urinam è corpore eliminare ſatagit. Reſiſtimus ſalutari huic Naturæ intentioni, ſi has evacuationes vel ſusque deque habemus, vel incongruis aut perverſe adhibitis medicaminibus Naturæ ſuccurrere ſuſcipimus. Prius fit (α) Inconveniente regimine, jectigatione nimia in lecto aut refrigerio externo æſtum protrahente & ſudorem inhibente (β) Diæta ſimili, frigidæ imprimis ingurgitatione, idem damnum inferente; Poſterius autem (α) Purgantium ſtimulantium aut nodulorum laxantium cum vino paratorum, in intermittentibus potius proficuorum, præſcriptione vel eorundem in paroxyſmis exhibitione, quorum illa febris augmentum, hæc vero typi perverſionem poſt ſe ducit (β) Calidioribus diaphoreticis in vigore paroxyſmi propinatis quæ eundem diutius protrahendo non raro febrem ex intermittente & acuta compoſitam vere acutam efficiunt: Cum enim Natura primis paroxyſmi horis nullum ſudorem intendat, ſed materiæ interne ſtagnantis emollitionem & reſolutionem & ſui refocillationem expoſcat, facile apparet omnia diaphoretica non niſi tempore eruptionis, quæ circa finem ſingulorum paroxyſmorum large contingit, locum habere, ubi quidem plerumque leniſſima, quia ipſa Natura utplurimum ſibi conſulit, ſufficiunt. (γ) Abſorbentibus largius pro æſtu exſtinguendo ordinatis, utpote quæ in ſiccioribus facile lentas & hecticas invitant

D

tant (δ) Acidis ob eundem finem in majori, quam par eſt, doſi exhibitis, à quibus ob coagulationem humorum & inſufficientem materiæ febrilis excretionem infarctus quandoque viſcerum & morbi chronici oriuntur (ε) Opiatis cephalalgiæ & agrypniæ oppoſitis, quibus omnes fere excretiones ſalutares inhibentur & ſtaſibus ſubſequentibus anſa præbetur (ζ) Sacra modernorum quorundam ſalutis anchora Cort. Chin. Chin. aut ſimilibus adſtringentibus antifebrilibus, quæ motus febriles ſupprimendi ſcopo tertio, quarto aut quinto jam paroxyſmo, antequam materia morbifica ſufficienter ſecreta & excreta eſt, exhibita, noſtrum quidem adimplent ſcopum, ſed vel novas recidivas, Naturæ quidem, non medicaminis, beneficio, vel materiæ febrilis ſtagnationes, viſcerum obſtipationibus inſervientes, vel mortes ſubitaneas vel alias deplorandas rerum cataſtrophas poſt ſe ducunt, ita ut quivis ſcientiæ & conſcientiæ conſulturus à tam ambigui effectus & eventus medicaminibus non immerito deterreatur & tam diu ab iisdem abſtineat, donec tempus morbi ipſiusque ratio eorundem uſum ſecurius permittant, quod quidem ante ſeptimum paroxyſmum vix fieri plura argumenta perſuadent. Venæſectionem quod attinet, illa primario huic morbo non convenit, cum Natura ſanguinis depletionem in eodem haud intendat; quod ſi tamen inſignis concurrat Plethora, & adſtantes perverſo plerumque præjudicio commoti

moti eandem anxie desiderent , meo quidem judicio concedi poterit, dum modo non in ipso Paroxysmo, sed versus eundem in statu ægroti tranquilliori instituatur.

§. XIII.

Cum Febre Tertiana Continua aliquam habet affinitatem QUARTANA CONTINUA, cujus Paroxysmi nunquam uti illius prorsus intermittunt, sed tantummodo remissionem caloris posterioribus duobus diebus ostendunt. Causa illius quærenda videtur in obstipationibus vel infarctibus viscerum hypochondriacorum, in scirrhositatem jam inclinantibus. Ob has enim Natura motum febrilem, æstum primo die aridum, molestissimum instituit; eundemque remissiori calore ad novum insultum usque protrahit & hoc quidem pluribus paroxysmis eum in finem perficit, ut auctiori sanguinis circulo & propulsu per partes affectas stasin resolvat, partesque noxias per loca convenientia lente excernat. Hanc Methodum Naturæ blandam pervertimus, si Vomitoriis rem aggredi tentemus: hæc enim nulli infarctui aut stasi sunt utilia, sed potius iisdem adaugendis admodum convenientia. Idem contingit, si purgantia resinosa atque stimulantia loco lenientium atque relaxantium præscribamus: non tantum enim eandem ac priora noxam inducunt, sed quandoque etiam veras acutas febres

invitant. Neque etiam lenientia in principio paroxyſmorum locum habent, quia typus febris facillime talibus artificiis pervertitur, ſed tempore tantum à febre intercalari, ita quidem eadem exhibendo, ut effectum exſerant antequam novus paroxyſmus ingruat. Vim quoque Naturæ inferunt V. Snes ſ. in principio ſ. medio morbi curſu inſtitutæ: nil quippe his efficimus, quam ut corpus tale morboſum per ſe jam minus activum, viribus ſuis privantes, hoſti tradamus ut eo citius vincatur. Cum præterea æſtus aridus per plures horas continuans & concurrens ſitis cum moleſtiſſima oris ſiccitate interni caloris nos ſatis certiores reddat, facile colligere eſt, diaphoretica, alexipharmaca & ſimilia hoc tempore minus eſſe proficua, utpote quæ ſanguinem magis exagitant & ſudorem cui excitando propinantur difficillime exprimunt, ob intentionem Naturæ prorſus contrariam: hæc enim cutem ſatis firmiter in hoc morbo ſtringit & non niſi in fine paroxyſmorum lenem, quandoque vero prorſus nullum ejicit ſudorem. Quando autem per abſorbentia & acida largiori manu propinata æſtum exſtinguere ſuſcipimus, facile ſtaſes adaugemus & vel Hecticas vel Hydropes invitamus. Qui quidem deplorandus effectus eo certius inſequitur, quo proniori manu ad adſtringentium antifebrilium accedimus uſum: quippe quo viſcera interna, antequam reſolutio materiæ ſtagnantis facta eſt, ſtringuntur & ſcirrhoſa iisdem

dem inducitur labes, ita ut poſtea modo nominati morbi preſſo pede inſequantur.

§. XIV.

Perluſtratis hactenus febribus acutis benignis, tam remittentibus, quam non remittentibus, ordo jam expoſcit ut ad malignarum claſſem accedamus. Diximus autem ſuperius, dividi has febres in malignas ſtricte ſic dictas & permalignas. Ad has retulimus Peſtem & Sudorem Anglicum: ad illas vero febrem Catarrhalem Malignam, Petechialem, Miliarem, Variolas & denique Morbillos. Ex prioribus itaque primo occurrit PESTIS, morbus omnium vehementiſſimus, in quo Natura inter ſpem & metum conſtituta motibus febrilibus regularibus miaſma fermenteſcens ſubtiliſſimum vel per ſudores, vel Carbunculos vel Bubones & Parotides è corpore eliminare ſatagit; inſtituit præterea alias quandoque excretiones, nimirum Vomitus, Diarrhœas & Petechias, easdemque plerumque lividas nigricantes, quæ tamen omnes utplurimum funeſtum indicare ſolent eventum. Patet ex his in methodo medendi quam maxime reſpiciendum eſſe, tum ad cauſam morbificam ſ. venenum illud ſubtiliſſimum, quod corpora noſtra inquinat & intra paucos dies horrenda ſtrage enecat; tum motus quibus Natura ſibi contra tantum hoſtem conſulere ſolet; Cum vero illud tam ſubtile ſit, ut nullis excretionibus vio-

 lentis

lentis obediat, Natura optima medicatrix, nulla quoque in medendi utitur vi, sed blandiori febricula excretiones sibi salutares perficit. Hanc itaque Ducem in Curatione secuti nullum dabimus locum Vomitoriis, Purgantibus, V. Snibus, Alexipharmacis & Cardiacis calidioribus aut spiritibus urinosis: hæc enim omnia insigne morbo afferre damnum testantur cum literæ à *D. J. G. K. de Peste Dantiscana* exaratæ, tum elegantissima *Dissertatio de nuperrima Peste Provinciali*, *à D. A.* . . . *M. D. & P.* in lucem emissa: ansam quippe hæc remedia præbent incongruis excretionibus supra nominatis, deleterio utplurimum eventu stipatis. Imo dehortatur etiam modo laudatus scriptor Gallus haud absque injuria à jusculis saturatis carnium sanguinis æstum nimium incendentibus, ut & suffimigiis resinosis, eandem ac Cardiaca calidiora noxam inferentibus: Subtilissimum enim venenum subacidis interne & externe usurpatis potius figendum & lenibus diapnoicis ejiciendum, per talia acria adhuc magis resolvitur, ut deleteriam suam virtutem eo citius absolvere possit. Imperite quoque excretiones Criticæ Anthracum & Bubonum per discutientia fortiora tractantur: hæc enim sæpius præbent occasionem retrocessioni materiæ & subsequenti funesto morbi eventui.

§. XV.

Sequitur jam SUDOR ANGLICUS qui à

Peste

Peste non nisi ratione symptomatum differt: sicuti enim in hac Natura per excretiones Criticas, Anthracum, Bubonum & Parotidum sibi consulit, ita in illo nihil horum contingit, sed vehementi tantum sudore non aquoso sed nebuloso s. halituoso sensibili corpori prospicitur; &,nisi hic ad exitum perveniat,patiens intra 12. aut 24. horas utplurimum opprimitur. Vid. *Opusc. Chym. D. Stahlii. pag.* 640. Ex insigni hac humorum resolutione patescit, crassiores supra notatas evacuationes, nec in hoc convenire morbo cum nil nisi anomali Naturæ motus exinde exspectandi sint, sed omnia tranquille peragenda esse, quod etiam ipsa confirmat Experientia, qua edocemur nullis plane medicaminibus, sed sola ægrotantis continentia tranquilla, faciliori sudoris eruptioni famulante, hunc morbum utplurimum edomari.

§. XVI.

Permalignas Febres excipiunt Malignæ & inter easdem primo CATARRHALIS MALIGNA & PETECHIALIS: quæ quidem cum non nisi gradu differant, merito sub uno comprehenduntur capite. Sumit autem utraque febris suam originem à materia acri caustica fermentescente subtilissima, quam Principium nostrum vitale per motus secretorios & excretorios adauctos 14. circiter dierum spatio per insensilem transspirationem Urina & alvinam evacuationem

nem excernere intendit. In priori quidem casu nulla exanthemata comparent: in posteriori autem ubi plerumque temperamentum activius vel regimen calidius concurrit, maculæ rubicundæ, petechiæ dictæ, in peripheria corporis erumpunt, non absque sensibili levamine, dummodo debito colore roseo nimirum vel rubicundo resplendescant. Omnia & in hoc morbo fiunt tranquille, nec ulla evacuatione fortiore corpori consulitur. Vomitoria quidem ab initio morbi exhibita, impr. si biliosa recrementa in Ventriculo hæreant, interdum aliquid levaminis conferre videntur, præcipue in corporibus robustioribus; quod si vero post aliquot demum dies ordinantur, insignes utplurimum post se ducunt anxietates cardialgicas & regularem morbi typum sensibiliter perturbant. Purgationes, vim suam diutius extendentes, idem fere detrimentum afferunt, dum diapnoën corporis supprimunt & ad diarrhœas in principio & statu morbi non adeo salutares, inprimis, si artificiales fuerint, disponunt. Venæsectiones vero nullo tempore causæ morbif. eliminandæ sunt idoneæ, sed plerumque versus dies Criticos incompleta molimina hæmorrhagica, in deliria, comata & lethargos abeuntia, post se ducunt, & hoc quidem eo certius, quo magis à tempore verno sumus remoti. Sudationes fortiores per Alexipharmaca & Cardiaca calidiora, Tincturam Myrrhæ, Bezoardicam Mich. Essent. Alexipharmacam Stahlii, Camphoram & Pulveres

Be-

Bezoardicos varios, aut regimen ſimile ſtragulis copioſis, quibus miſeros patientes totos plerumque involvunt, in principio morbi excitatæ, vires inſigniter proſternunt & diebus criticis ſuppreſſionem ſudoris poſt ſe trahunt; loco vero illius Deliria, Comata, Convulſiones, Lethargos, à Congeſtione ſanguinis in ſuperioribus partibus facta, originem habentes inducunt. Sicuti vero craſſis ejusmodi evacuationibus blandus morbi genius plane pervertitur, ita quoque incongrue ſymptomatibus quibusdam concurrentibus vulgo obviam itur. Scilicet opponunt diarrhœis ſæpiſſime morbum hunc excipientibus, adſtringentia & opiata fluxum inhibendi ſcopo, ſed eo ipſo partem cauſæ morbificæ, quæ ſalutariter præcipue in decremento morbi per has vias evacuari ſolet, in corpore retinent, & novis ſtagnationibus anſam præbent, inſci prorſus, omnes adſtrictiones alvinas ſolutionibus eſſe periculoſiores; unde nec uſum Cort. Chacarillæ ab Apino in febre hac ſpecifice laudati in hoc caſu facile commendaverim cum ſenſibili adſtringendi efficacia præditus ſit. Præterea pro agrypnia & cephalalgia mitigandis communiter præſcribunt opiata aut etiam refrigerantia externa; ſunt vero hæc petechizantibus adeo inimica ut excretiones debitæ eis plerumque inhibeantur & loco illarum lethales internæ inducantur ſtaſes, prouti hæc omnia ſolide demonſtravit Illuſtris Stahlius in duobus menſibus de febre epidemica petechizante &

alvi libero ſucceſſu conſcriptis & Opuſc. Chym. pag. 608. & 660. inſertis.

§. XVII.

Febri petechiali quoad malignitatem proxime fere accedit MILIARIS. Eſt autem hæc febris acuta exanthematica, qua Natura miaſma quoddam ſubtile ad fermentationem putredinoſam pronum transſpiratione adaucta ſub puſtularum ſemen fere milii referentium forma ad peripheriam corporis propellere conatur. Perficit autem hanc excretionem Natura non una vel altera die, ſed ſemi & criticos dies pro eadem inſtituenda & abſolvenda obſervat. Die ſc. quarto circiter maculas rubicundas in ſuperficie corporis ejicit, in harum medio ad ſeptimum usque diem format puſtulas pellucidas albicantes quas poſtea ſi per quatuor, interdum vero plures dies, ſubſtiterunt, exſiccat, & tandem ſub ſquamarum forma deponit, ita ut morbus fere duplici ſeptenario abſolvatur, niſi temperamenta minus activa in quibusdam tardiorem exanthematum eruptionem & exſiccationem, ſimilemque poſtea morbi ſolutionem producant: Occurrit autem hæc febris vel per ſe absque alio morbo, vel cum petechiis, variolis aut morbillis complicatur, ubi ſummam plerumque malignitatem indicat. In utroque vero caſu blande procedit, nec ullam fortiorem evacuationem per ſe intendit. Ex quibus manife-

nifeſtum eſt, omnes fere errores practicos, quos in præced. §. allegavimus & hic notandos eſſe. Nimirum cauſa morbifica neque Vomitoriis, neque Purgantibus, neque Venæſectionibus (excipio hic caſum febris miliaris à lochiis ſuppreſſis ortæ, quæ eandem primo morbi inſultu omnino expoſcit) ſive in principio ſive in progreſſu morbi, quod pejus, ea exhibeantur, edomatur, ſed ob ſummam ſubtilitatem ſuam per poros cutis, tanquam locum convenientiſſimum, lente excerni cupit. Ob hanc tardiorem excretionem neque frequens cardiacorum & alexipharmacorum uſus neque regimen calidius, à Medicis & adſtantibus frequentiſſime vel injunctum vel conceſſum locum habebit; Sed peragetur potius hoc negotium tranquilla continentia, remediis diapnoicis temperatiſſimis non adeo frequenter exhibitis, dilutione ſufficiente & refocillatione debita, ni damna ſuperius memorata deſideraverimus. Diarrhœis ſupervenientibus nulla opponemus adſtringentia, à quibus easdem vel augeri vel morbum pejorum ſymptomatum acceſſu atrociorem reddi optime notaſſe credimus Doctiſſ. *D. Hamilton Anglum in Tr. de feb. Miliare pag.* 72. cui ſimul *pag.* 104. Hiſtoriam hujus morbi ex Opii uſu in Apoplexiam deſinentis inſeruit, quæ ad opiatorum noxam oſtendendam hoc loco ſufficere poterint.

§. XVIII.

Sequitur jam morbus ubique fere terrarum

notissimus, qui infantes præcipue corripere solet, puto VARIOLAS. Sunt autem hæ pustulæ majores in superficie corporis comparentes, quas Natura ob fermentum malignum ad co-ctionem purulentam pronum, in peripheria format, ut sanguinem à Miasmate s. fermento hoc plane peculiari liberet. Instituit vero hoc negotium blande prorsus & certis diebus motibus vitalibus adauctis, secretionibus scil. & excretionibus, sola plerumque nisi aliunde impediatur, absolvit, à quorum motuum apparatu symptomata ab initio, antequam eruptio variolarum contingat, in quibusdam occurrentia, & eandem jam eminus respicientia, originem suam habent, existimo Hæmorrhagias narium, Vomitus, Diarrhœas & Convulsiones, quæ ultimæ secundum Sydenhamii aliorumque solertem observationem, Variolarum, proxime erumpentium signum esse solent. Contingit autem vera harum pustularum eruptio die circiter. 3. l. 4. & primo quidem in facie postea vero in toto corpore sub macularum rubicundarum forma sese conspiciendam præbet; continuat hac ratione ad septimum usque, ubi suppurationem subeunt pustulæ cum circulo ambiente rubro & interjacentis cutis inflammatione: die undecimo suppuratio desinit & exsiccatio incipit ad 14. usque diem pergens, quo tempore Variolæ quoad potiorem partem exsiccatæ decidere solent, aliis per plures adhuc dies imprimis in partibus exterioribus ægrotum divexantibus.

Cum

Cum vero hic morbus præ omnibus aliis ſola autocratia Naturæ utplurimum ſuperetur ratio quoque, experientia omnium fere Practicorum ſuffragante dictitat, omnem remediorum farraginem, quæcunque demum illa fuerit, noxiam magis quam proficuam eſſe & eidem expectationem potius ab Harveo Anglo tantopere in morbis commendatam ſubſtituendam, nec non continentiam ab ægrotis tranquille obſervandam. In ſpecie vero omnia remedia minus hic locum habent quæ blandum Naturæ ordinem quovis modo turbant. Referimus vero ad eadem (1) Vomitoria ſolidas atque fluidas partes inſigniter commoventia, quicquid etiam experientia Gundelsheimeriana reclamet. (2) Venæſectiones hæmorrhagias ſymptomaticas verſus criticos dies excitantes, niſi quidem hic manifeſta Plethora, illic vero ſaburra primarum viarum in quibusdam ſubjectis contrarium ſuadeat. (3) Purgantia ad Diarrhœas morbo huic per ſe, ob motum à peripheria ad Centrum ſ. interna directum, prorſus contrarias & plerumque funeſtas, diſponentia, ad quæ Clyſteres referendi ſunt, qui tempore eruptionis alvum reſerandi ſcopo applicantur. (4) Bezoardica & Alexipharmaca, nec non Cardiaca largius ingeſta, quorſum imprimis pertinet decantatiſſimus Pulv. Pannon. ruber, qui paulo copioſe propinatus ob ſenſibilem adſtringendi vim ſtricturas internas inſigniter auget & aphthas periculoſiſſimum ſymptoma aliaque mala fa-

facillime procreat: Aqua fumariæ in quibusdam locis ad plures uncias exhiberi ſolita, à qua Illuſtris Stahlius & Excellentiſ. Hoffmannus paſſim in ſcriptis ſuis tanquam remedio calidiori non immerito dehortantur: Vinum rubellum à plebe in copia ſæpius variolis correptis exhibitum: Decoctum lentium ſaturatum pro potu ordinario commendatum & ſimilia ſanguinem nimis exagitantia & excretiones immaturas, ſæpiſſime lethales poſt ſe ducentia. (5) Regimen calidius per hypocauſta probe calefacta, & lectos, quibus miſellos ab initio ſtatim quaſi incarcerant, quam tamen rem primis diebus ægrotis noxiam magis quam proficuam eſſe optime notavit Sydenhamius Anglus. (6) Adſtringentia & Opiata, vel Hæmorrhagiis initio morbi, vel Diarrhœis ſtatui vel decremento ipſius critice quandoque ſupervenientibus oppoſita; quibus materiam acrem retundimus & ad viſcera repellimus ut poſtea Aphthæ, Deliria, Convulſiones exinde initium ſumant: Ultimo etiam verbum dicendum eſt de inconſulto quorundam conamine, quo Variolas, antequam maturæ ſint, acu pertundere ſolent: hoc enim ſuppuratio & debita evacuatio puris impeditur, & repullulationi novarum excretionum aut aliis incommodis anſa præbetur.

§. XIX.

Cum Variolis tam quoad excretionis quam cu-

curationis modum conveniunt MORBILLI. Sunt vero Morbilli ſtigmata rubicunda eminentia lenticulari conſpicua, quæ Natura ſub leni febricula 3. vel 4. invaſionis die, ob fermentum quoddam peculiare in corpore latitans, ejicit, & poſtquam primo caput, poſt truncum & denique artus per aliquot dies occuparunt, & pruritu ſatis ſenſibili exercuerunt, iterum diſcutit partim, partim exſiccat & ſub ſquamarum forma deponit. Cauſam autem morbificam materiam ſatis acrem eſſe teſtantur concurrentes tuſſes inſignes, perpetui fere hujus morbi comites, inflammationes & pruritus oculorum aliaque ſymptomata. Ejicit vero partem hujus materiæ Natura quandoque per alvum, Diarrhœa ſcilicet per plures dies continuante, qualem nunc hic locorum omnibus fere morbillis affectis ſalutariter accidere certo mihi conſtat, ita quidem ut excretiones reliquæ ſolennes nihil exinde capiant detrimenti, ſed potius tolerabilius decurrant. Omnia itaque quæ in §. præced. de Variolis notata ſunt & hic locum habent, inprimis autem ea quæ de adſtringentibus & opiatis diximus in mentem ſunt revocanda, ne forte adſtrictione fluxus alvini univerſum morbum deteriorem reddamus, aut plane complicationi exanthematum miliarium, quod quandoque contingit, occaſionem præbeamus. Blandiſſimus enim morbus eſt, temperatiſſima propterea remedia motibus & ordini Naturæ correſpondentia ſunt præſcribenda; quæ quidem ſi ſelegerimus & conveniente tempore

pore exhibuerimus optimam ſemper Naturæ methodum uti in hoc morbo, ita & in univerſo Febrium negotio non perturbabimus, ſed tanquam veri Naturæ miniſtri non Domini, eidem inſiſtentes, pretioſiſſimam ægrotis auxilium noſtrum implorantibus reſtituemus valetudinem, dummodo Summus Medicus DEUS, cui ſit Laus, Honor & Gloria, annuerit.

F I N I S.

